



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis Tollenarii Brvgensis e Soc. Iesv Specvlvm
Vanitatis Sive Ecclesiastes Solvta Ligataq. Oratione
Dilvcidatvs**

Tollenaer, Jean de

Antverpiæ, 1635

Ecclesiastes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68633)

quam nauis, quæ pertransit fluctuantem aquam; cuius, cum præterierit, non est vestigium inuenire, neque semitam carinæ illius in fluctibus: aut tamquam auis, quæ transuolat in aëre, cuius nullum inuenitur argumentum itineris: aut tamquam sagitta emissa in locum destinatum; diuisus aër continuo in se reclusus est, ut ignoretur transitus illius. Sic & nos nati continuo desuimus esse: & virtutis quidem nullum signum ualimus ostendere, in malignitate autem nostrâ consumpti sumus. Talia dixerunt in inferno hi, qui peccauerunt. Nos autem ad aliud stultitiæ genus, quod in dignitate constitutos præcipuè dehonestat, gradum faciamus.

S E C T I O N O N A.

E C C L E S I A S T E S.

- VERS. 16. Væ tibi terra, cuius Rex puer est, & cuius Principes manè comedunt.
17. Beata terra, cuius Rex nobilis est, & cuius Principes vescuntur in tempore suo ad reficiendum, & non ad luxuriam.

M E T R I C A P A R A P H R A S I S.

NON tot procellis feruet Ionium,
 Non tot sub Arcto Luna puerpera
 Niuisque grandinisque nimbis
 Sarmaticas onerat nouales,
 Quot regna clades exitiabili
 Torrente inundant, cum diadematis
 Sceprique, non virtutis heres
 Rex viridi iuuenatur auro.

Infida